



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

IV. Vt ab vno episcopo excommunicatus, ab omnibus episcopis  
excommunicatus habeatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

fidelium ecclesiam quærent collatis priuare donariis, id conuenit inuiolabiliter obseruari, vt testamenta, quæ episcopi, presbyteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcumque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid ecclesiæ, aut quibuscumque conferre videantur, omni stabilitate subsistant. Id specialiter statuentes, vt etiam si quorumcumque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate, aliquid a legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus Deo propitio custodiri. De quibus rebus si quis animæ suæ contemptor aliquid alienare præsumperit, vsque ad emendationis suæ, vel restitutionis rei ablatæ tempus, a consortio ecclesiastico, vel omnium Christianorum conuiuio habeatur alienus.

## III.

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem animæ suæ ita conati sunt, aut conantur assurgere, vt animas longa temporis quiete sine vlla statur sui competitione viuentes, nunc improba prodicione atque traditione, aut captiuauerint, aut captiuare conentur, si iuxta præceptum domini regis emendare distulerint, quousque hos quos abduxerunt, in loco in quo longum tempus quiete vixerint, restaurare debeant, ecclesiæ communionem priuentur.

## IV.

11. qu. 3. Si  
quis a pro-  
prio.

Illud etiam quod sancti patres salubriter ordinarunt, placuit iterari, vt si quicumque episcopus



ANNO  
CHRISTI  
567.

pro reatu aliquo quemquam a communionem sus-  
penderit, apud omnes sacerdotes eatenus a com-  
munionem habeatur alienus, vsquequo eius iudicio  
debeat recipi, a quo meruerat pro reatu suo a ca-  
ritate ecclesie sequestrari.

V.

Et quia multa sunt ecclesie membra, quae di-  
uerso genere, pro vitae suae qualitate, vel discretio-  
ne sacerdotali, aut oblectari conuenit, aut distrin-  
gi, illud censuimus statuendum, ut quascumque  
munificentias clericis, aut seruientibus, siue de re-  
bus ecclesie in usum, aut de propriis in proprie-  
tatem, praecedentes dederint sacerdotes, subse-  
quentes pontifices nullatenus auferre praesumant.  
Si quid tamen culpa extiterit, pro qualitate per-  
sonarum, vel regula Canonum praecedentium,  
in persona habeatur, non in facultate districtio.

VI.

Placuit etiam vniuersis fratribus, ut in prima  
hebdomada noni mensis, hoc est, ante diem do-  
minicam, quae prima in ipso mense illuxerit, lita-  
niae, sicut ante ascensionem Domini sancti patres  
fieri decreuerunt, deinceps ab omnibus ecclesiis,  
seu parochiis celebrentur.

#### SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Philippus in Christi nomine episcopus ecclesie Viennensis, consti-  
tutionibus nostris subscripsi.

Nicetius in Christi nomine episcopus ecclesie Lugdunensis, consti-  
tutionibus nostris subscripsi.

Agricola in Christi nomine episcopus ecclesie Cabilonensis, consti-  
tutionibus nostris subscripsi.

Vincentius in Christi nomine episcopus ecclesie Belicensis, con-  
stitutionibus nostris subscripsi.

*Concil. Tom. 12.*

Eccc ij